



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXVIII. An Benedictarvm rerum vsus in Dei Cultu sit Christianus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

has irrepentes specie diuinæ gloriæ, iure merito reprehenderint. Quæ vitatio è quatuor minus obseruatis potest provenire: è loco, Tempore, Modo, & Persona; De quibus *Bell. l. 3. de Sanctis. c. 4.*

QVÆSTIO XXVIII.

An BENEDICTARVM rerum usus in Dei Cultu sit Christianus?

HÆRESIARCH. VVADENSES, exorti sub annu 1140. omnes irridere benedictiones ceperunt: teste *Reynero in fragmentis.* Itemque Flagellantes, coorti sub annum 1350. teste *Bern. Luxemb.* Quod omnem religionem ponebant in baptismo sanguinis per flagra elicti: hic eis circo erat Confirmatio, Pœnitentia, &c. & omnia. At asperæ lustralis aquæ guttas dicebant scintillas gehennales. VVICLEPISTÆ, teste *Tho. VVald. 3. tit. ult. c. 68.* Benedictiones rerum dicitabant proximæ Necromanticam.

LYTHERVS *l. de Visione Danielis,* oēs damnat Benedictiones ecclesiasticas. Magdeburgenses *Cent. 2. c. 6.* eas dicunt ritum ethnicum, præcipuè lustralem asperionem.

CALVINVS *Inst. l. 4. c. 10. §. 20.* tria oblatrat contra lustralem. 1. Hanc ab autore Alexandro, à Papisitis institutam Papa sc. Sexto à S. Petro; & tamen dici Apostolicam Traditionem. 2. Nec Augustini memoria eam fuisse. 3. Ipsam esse baptismi profanationem. **BRENTIVS** *in Conf. c. ult.* Non debere adumbrari mysteria vlla in luce Euangelij. **Heshusius** *l. de sexcentis error. Papisit. loco 27.* Error est, lustrali deleri venialia, dæmones effugari, ac morbos. 1. Quia 1. Ioan. 2. *Sanguis Christi nos emundat ab omni delicto.* 2. Quia manifesta magia est præter Dei verbum vti creaturis ad fugandos dæmones. Estque contra *Deut. 18. Non sit maleficus, neque incantator inter vos: Et Non assumes nomen Domini Dei tui inuani.*

PAPISTA. Vana profani, & impij impia comminiscuntur.

1. Cum enim Benedicendi ritus in Scripturis Exemplum habeat, *Mat. 14. Luc. 9.* & Documentum 1. *Tim. 4.* quid humana Deo obstrepit improbitas ac maledicentia?

2. Præterquam quod Benedictioni sanctimoniam ac usum sancta custodivit Traditio Ecclesiæ Christi: teste, in cæteris S. Cyrillo Catechesi 5. *Sicut mandu di cibi sunt immundi inuocatione diaboli: ita aquam simplicem fieri sanctam inuocatione Dei:*

3. Proinde *l. 4. de Sacram. c. 3 & 5. S. Ambr.* ait, Aquam, nisi Crucis signo prius sacretur, nullū habere usum in Ecclesia.

4. Et quid è *S. Basil. li. de Sp. S. c. 27.* dicit eam apostolicam esse Traditionem?

5. Quò rectius sancit Conc. Nannantense can. 4. vt presbyter visitaus ægrotum, hunc & cubiculum aqua lustrali perspergat.

Iam **AD CALVINI** cauillationes.

AD I. Aquæ benedicendæ institutio tribuitur Apostolis; at Præceptum dedit Alexander I.

AD II. Fingit id Calvinus. Lotionem pedum maluit S. Aug. differri in octaua Paschæ; ne loti pedes Catechumeni putarent se baptizatos iam esse.

AD III. Fingit ille repeti à nobis baptismum: sed calumnia est. Recoli tantum eum in asperione grati est animi.

AD Heshusium: 1. Sanguis Christi emundat nos cunctis à peccatis, sed applicatus per Sacramenta, efficaciter à venialibus, per Sacramentalia pro merito applicantis. 2. Mentitur idem, non esse scriptū, vt aqua sanctificetur ad pellendos dæmones. Contrarium patet in meo *Antichristo p. 1. q. 28.* 3. Neque peccatur in illud; *Nō assumes Nomen.* &c. quia benedicentes aquam. &c. nec peieramus, nec Sathanam inuocamus. Vide meum *Luthero. c. p. 1. q. 87.*